

## §. VII.

Jus positivum est vel Divinum vel humanum, prout Legislator vel DEus est vel homo. Humanum vel est civile vel civili latius vel strictius: Latius est Jus gentium; strictius, Jus domesticum. *Vid. H. Grotius L. I. de J. B. & P. c. I. §. 13. 14.*

## §. VIII.

Utrumque hoc loco intelligitur, sed secundum diversum rigoris sensum, in quo ille Juri naturali præ jure positivo competit. *Vid. infra §. 18. seqq.*

## §. IX.

Rigor h. l. in genere requirit ἀκριβοδικαίου, quod omni ex parte, omnique modo justum est, nullamque injusti mixturam habet, aut admittit. Quemadmodum enim, secundum rigorem veritatis, indeque tritò in sermone proverbio scapha vocanda est scapha, ficus ficus; ita juxta rigorem Juris N. *quæ justa sunt, justa, nec non injusta, quæcunque injusta sunt, hic & ubique gentium.* Plato in *Minoë.*

## §. X.

Hinc nihil ad nos rigor injustus, qui in jus positivum humanum facile, nullò verò modo in Jus Naturæ cadere potest. Tantum abest, ut quoad hanc rigoris speciem hoc illò sit rigidius. Hujusmodi injustò rigore (*asperitate, χαλεπότητι, Plut. in Vita Solon:*) laborarunt olim leges Draconis; *nimis enim severe censuit sanxitque; ideoque impendio leges ejus erant acerbiores; Gellius Noct. Attic. L. XI. c. 18.* quas proinde justè non minus quam prudenter Solon abrogavit. *Una enim ferè omnibus mors pæna definita erat, ut etiam qui otii damnati essent, capite muldarentur &c.* Ob quam causam illud Demadis laudatur in primis, qui Draconem, non atramentò sed sanguine leges scripsisse dixit. Plutarch ibid. Ejusdem rigoris lex fuit illa, quam Inter-Rex Romanus tulit, ut dictator, quem vellet civem, indictà causà, impunè posset occidere. Quam postquam allegavit Cicero L. I. de Legib. rationem, ob quam rigor ejus sit improbandus, nostræ prorsus similem mox subjungit: *Est, inquam, unum jus, quò devincta est hominum societas, & quod*  
lex